



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita  
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum  
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum  
Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 125. Vtrum bonum tum creatum, tum etiam increatum, quod est Deus,  
possit esse causa mali physici, vel moralis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

fuit mala malo culpæ; respectu verò tentantis, & volentis inducere ad peccandum, tentatio est culpa.

13. Ad 4. Etiam malum culpæ per hoc, quod sit malum culpæ nocet, cum priuet hominem debito bono, neque per hoc præcisè, quod quis peccando sibi noceat, punitur: ergo malum culpæ differt à malo poenæ. Quo pacto autem ipsum peccatum possit habere rationem poenæ, qua puniatur aliud peccatum, alibi est explicandum.

### QVÆSTIO CXXV.

*Vtrum bonum tum creatum, tum etiam increatum, quod est Deus, possit esse causa mali physici, vel moralis?*

*S. Th. qu. 49. art. 1. & 2.*

1. **V**idetur bonum non posse esse causam mali, primò quia vnum contrarium non potest esse causa alterius contrarij; sed bonum est contrarium malo: ergo.

2. Secundo effectus deficiens non potest causari nisi à causa deficiente; sed malum est effectus deficiens; ergo non potest causari nisi à causa deficiente: sed causa deficiens est mala: ergo malum non potest causari nisi à malo. Ideò Christus Math. 7. dixit: *Non potest arbor bona malos fructus facere*: & Dion. cap. 4. de diuinis hominibus dicit: *malum non habet causam*.

3. Tertio videtur, quod si bonum creatum esset causa mali, Deus ipse, qui est summum bonum, esset prima causa omnium malorum. Nam causa causæ est causa causati: sed Deus est prima causa omnis boni creati: ergo si bona creata sunt causæ malorum, Deus est prima causa malorum. Ideò Isai. 45. Deus de se ipso dicit: *Ego Dominus, & non est alius Deus, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*: & Amos 3. dicitur: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*.

4. Quarto Aristot. 2. physicae tex. 10. dicit idem est causa salutis navis, & naufragij; sed Deus est causa salutis omnium rerum; ergo est etiam causa mali, & perditionis omnium rerum.

5. Respondeo, quod primò potest quæri, vtrum malum habeat causam?

Respondeo cum Sancto Thoma art. 1. qu. 49. omne malum aliquam habere causam. Ratio est, quia vt dictum est supra, quæst. 12. num. 15. & 16. malum est priuatio, & defectus boni in subiecto, quod habet aptitudinem, & debitum habendi tale bonum: sed nullum subiectum potest deficere à bono, quod potest, ac debet habere, nisi sit aliqua causa remouens illud à tali bono: e. gr. graue, cui debetur locus deorsum vt illi bonus, non potest remoueri à loco deorsum, nisi sit aliqua causa mouens illud deorsum:

aqua, cui debetur frigus vt suum bonum, non potest remoueri à suo frigore naturali, nisi sit aliqua causa illam calefaciens, & sic priuans suo frigore naturali: ergo &c. Rursus graue, cui bonus, ac debitus est motus deorsum, non potest deficere à motu deorsum, nisi sit aliqua causa impediens, ne moueatur deorsum: ergo.

6. Quæri potest secundo, vtrum causa mali debeat esse aliquod bonum?

Respondeo affirmatiuè iuxta illud S. August. lib. 1. contra Iulianum, cap. 9. *Non fuit omnino, vnde eriri posset malum, nisi ex bono*. Ratio est, quia causa agens, vel quasi agens agit ex aliquo fine; sed solum bonum habet rationem finis, nam nemo intendens ad malum operatur; ergo causa agens, vel quasi agens mali habet pro fine bonum; sed causa habens pro fine bonum eo ipso est bona; ergo causa agens, vel quasi agens mali, est aliquod bonum. Causa etiam finalis mali est aliquod bonum; si quidem nemo intendens ad malum operatur, ac proinde malum semper fit ex fine alicuius boni, eo pacto quo quilibet peccans, peccando habet pro fine consecutionem alicuius boni. Causa etiam materialis, seu subiectum mali est aliquod bonum, vt dictum est quæst. 12. num. 16. Sola ergo causa formalis, vel quasi formalis mali est malum, cum sit priuatio boni, vt dictum est qu. 123. num. 22. Verum sicut malum non est forma, sed priuatio formæ, sic si propriè, & non abusiue loquamur, malum non constituitur per causam formalem, sed per priuationem causæ formalis.

7. Quæri potest tertio, vtrum bonum, quod est causa agens, vel quasi agens mali, sit causa per se, vel solum per accidens mali?

8. Respondeo, quod bonum est causa mali, non per se, sed solum per accidens. Probatur: nam causa per se est, quæ operatur ex intentione effectus, quæ autem operatur non ex intentione effectus, sed intendens aliquid aliud, est causa solum per accidens effectus, quem non intendit; sed causa mali nunquam operatur intendens malum, sed intendens bonum; ergo. Confirmatur, & explicatur tum in malis physicis, tum in moralibus. Nam causæ physicae, dum causant corruptionem, non intendunt corruptionem, quæ est malum, sed generationem, ex qua deinde sequitur corruptio: e. gr. ignis corrumpens lignum non intendit corrumpere lignum, sed intendit producere ignem: & quia ex productione ignis sequitur corruptio ligni, & ex forma ignis introducta in materiam sequitur in eadem priuatio formæ ligni, per accidens causat corruptionem ligni, & priuationem formæ ignis. Similiter claudus dum causat in sua ambulatione defectum, & malum claudicandi, intendit bonum ambulationis: & quia habet potentiam ambulatoriam defectuosam, per accidens, & præter intentionem causat in ambulatione defectum claudicationis. Omnis

nis etiam peccans intendit aliquod bonum, & per accidens causat in suo actu malum moralis malitiæ; quod non intendit, sed solum accipiat, ut dictum est in tractatu de Peccatis, quæst. 30.

9. Quæri potest quarto, utrum Deus, qui est summum bonum, sit causa mali?

Respondeo triplex posse considerari malum. Primum est malum culpæ; secundum est malum pænæ; tertium est malum physicum corruptionis &c.

10. Hoc supposito, dicendum primo: Deus malum culpæ causat per accidens, ac purè permittendo. Probat: nam peccans malum culpæ causat, deficiendo in sua actione ab eo, quod debet; sed Deus cum sit summum bonum, non potest in sua actione deficere; ergo non potest causare malum culpæ, nisi per accidens, & purè illud permittendo propter aliquod bonum. Deus autem permittendo malum culpæ, ac illud non impediendo, ut ex malis faciat plura bona, non deficit, iuxta illud Augustini in Euchirid. cap. 27. *Deus melius iudicauit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Vide quæ de hoc puncto diximus supra quæst. 52. & quæ dicemus infra in tractatu de malitia peccati.

11. Dicendum secundo: Deus malum pænæ causat etiam quodammodo per accidens; ita ut illud velit solum ex suppositione peccati: sed facta illa suppositione, vult malum pænæ propter bonum iustitiæ. Probat: nam ex dictis malum peccati Deus non vult, sed purè permittit; sed pœna ex suppositione culpæ continet bonum iustitiæ, quod bonum Deus vult; ergo ex suppositione culpæ Deus vult malum pænæ. Deus ergo malum culpæ non vult, sed purè permittit; malum pænæ non vult, nisi ex suppositione non volita, sed purè permittit: at quia pœna ex illa suppositione continet bonum iustitiæ, ex illa suppositione vult, & amat malum pænæ propter bonum iustitiæ.

12. Dicendum tertio: Deus mala corruptionis, & alia mala physica causat, & vult quasi per accidens, in quantum non vult illa propter se, sed propter perfectionem, & ordinem vniuersi.

Probat, & explicatur. Nam Deus præcipue vult, & intendit ordinem, & perfectionem vniuersi; sed ad ordinem, ac perfectionem vniuersi spectat, ut sint aliqua, quæ possint deficere, & corrumpi, & ut aliquando corrumpantur, & deficient; ergo Deus vult, & causat corruptiones, & defectus, sed per accidens, in quantum hæc non vult propter se, sed propter bonum ordinis. Ideo 1. Reg. 2. dicitur: *Dominus mortificat, & viuificat*, quia causat etiam mortem, & corruptionem, sed per accidens, & propter bonum ordinis, ut explicauimus. Dum igitur Sap. 1. dicitur: *Deus mortem non fecit*, si intelligatur de morte brutorum, significatur, quod non fecit mor-

tem, illam intendens propter se, sed solum propter bonum ordinis vniuersi: si autem intelligatur, ut debet intelligi, de morte hominis, significatur, quod mortem hominis solum vult, ut pœnam peccati, & ex suppositione peccati, siquidem si Adam non peccasset, homines non morerentur.

13. Concluditur, quod Deus mala causat solum per accidens, sed non eodem modo per accidens causat omnia mala. Malum enim culpæ causat per accidens, in quantum illud non vult, sed purè permittit; malum pænæ causat per accidens, quatenus illud non vult, nisi ex suppositione culpæ, quam non vult, sed purè permittit. Malum corruptionis, & alia mala physica causat per accidens, in quantum non vult illa propter se, sed propter bonum ordinis vniuersi.

14. Ad 1. distinguo maiorem: vnum contrarium non causat per accidens aliud contrarium sibi, & in quantum non est contrarium, nego; non causat per se aliud contrarium sibi, & in quantum est contrarium, concedo maiorem: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vnum contrarium non causat per se aliud contrarium sibi, sed potest illud causare per accidens, eo pacto, quo frigus propter antiperistatium aliquando per accidens causat calorem. Rursus vnum contrarium potest per accidens causare contrarium, non sibi, sed alteri, quod contrarium passo, agenti sit proficuum, & vtile; eo pacto, quo Leo viuens causat mortem, & corruptionem alterius animalis, ut illud comedat, & tunc mors, & corruptio alterius animalis non est contraria Leoni, sed solum est contraria animali occiso. Demum dum quis peccat, causat peccatum ipsi peccanti contrarium, & nocium, sed non vult peccatum, in quantum est nocium, sed in quantum apprehendit illud, ut vtile, vel delectabile &c.

15. Ad 2. distinguo maiorem: effectus deficiens non potest procedere, nisi à causa deficiente, defectu saltè negatiuo, concedo; defectu priuatiuo, nego; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens: ac distinguo subsumptum; causa deficiens defectu priuatiuo est mala, transeat; deficiens defectu purè negatiuo, nego; & nego consequentiam. Nulla res est mala per defectum purè negatiuum, puta per hoc, quod careat bono indebito: e. gr. equus non est malus per hoc, quod careat intellectu, qui indebitus est equo, sed solum est malus, cum caret perfectionibus equo debitis, puta perniciatate ad currendum, aptitudine ad gestandum sefforem, & ad pugandum &c. Hoc supposito, vel possumus loqui de effectibus malis physicè, & in genere naturæ, vel de effectibus malis moraliter, in genere moris. Effectus mali in genere naturæ non procedunt, nisi à causa mala in genere naturæ, puta carente debita perfectione, vel habente impedimentum ad perfectè operandum. Causa enim naturalis, nisi careat

Bbb debita

debita perfectione, vel impediatur ab alia causa potentiori, quod ipsum est malum, semper producit effectum bonum, & suæ naturæ convenientem, adeoque effectus physicè malus privatiuè supponit in causa aliquod malum, privatiuum, quod malum physicum privatiuum causatum est per accidens à causa bona, vt explicatum est num. 7. Si loquamur de effectibus malis moraliter, non debent procedere à causa moraliter, vel physicè mala, ex eo, quod careat perfectione moraliter, vel physicè debita, sed sufficit, vt procedant à causa, quæ careat perfectione indebita impeccabilitatis, carentia purè negatiua. Causa autem ex eo, quod careat impeccabilitate indebita, non est mala, sicut equus non est malus per hoc, quod careat rationalitate indebita. Angeli igitur, qui antequam peccarent, erant boni in suo ordine, sed non optimi, cum essent peccabiles, causarunt in se malum peccati, quo constituti sunt moraliter mali. Idem dic de Adamo. Dum Matth. 7. dicitur, *Non potest arbor bona malos fructus facere*, vt docet August. lib. 1. contra Iulian. cap. vltimo, nomine arboris bonæ intelligitur non potentia, sed actus voluntatis bonus, qui non potest facere externam operationem moraliter malam, siquidem externa operatio eo ipso, quod procedit ab actu voluntatis bono, & honesto, denominatur honesta, & bona. Dionysius dicens, quod *malum non habet causam*, significat, quod non habet causam per se, sed per accidens, siquidem nemo intendens malum operatur, vt dictum est nu. 7. Adde, quod malum non habet causam efficientem, sed deficientem.

16. Ad 3. nego, quod si bonum creatum est causa mali, Deus sit causa omnium malorum, nisi per accidens malorum physicorum, ac purè permissiua malorum moralium, vt explicatum est num. 9. 10. 11. & 12. Dum opponitur: causa causæ est causa causati; distinguo, secundum eundem modum causandi, nego; secundum proportionalem, concedo. Deus fuit causa Angelorum, qui peccarunt, & peccando defecerunt; at Deus peccatum Angelorum purè permisit, ideoque purè per accidens, & permissiue illud causans, non defecit, neque peccauit, sed honestissime operatus est, prout decebat ad bonum vniuersi. Quidquid igitur est boni, entitatis, & perfectionis in actione mala, reducitur ad Deum, tanquam ad primam causam; quidquid est defectus, & mali, reducitur in causam secundam deficientem, eo pacto, quod cum quis claudicat, quidquid est boni in claudicatione tribuitur potentia: vitium autem claudicationis tribuitur vitio potentia: motiua. Dum Isaia 45. Deus dicit de se ipso: *Ego Dominus, faciens pacem, & creans malum*, loquitur de malo poenæ, quod Deus ex suppositione peccati purè permissi vult, & amat propter bonum iustitiæ, vt dictum est num. 10. non autem de malo culpæ, quod

non vult, neque amat, sed purè permittit in 15. Ad 4. Gubernator tunc est causa moralis submersionis navis, quando non facit id, quod requiritur ad salutem, & non submersionem navis, cum debeat illud facere; sed Deus nunquam omittit facere id, quod est necessarium, & debet facere ad salutem hominis, ideoque Isaia 5. dicit de se ipso: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* ergo Deus non est causa perditionis hominum, quæ proinde non tribuitur Deo, sed ipsi homini, iuxta illud Osee 13. *Perditio tua ex te Israel.*

## QVÆSTIO CXXVI.

*Virum sit vnum summum malum, quod sit causa omnis mali?*

*S. Th. qu. 69. art. 3.*

1. **V**idetur, quod sicut datur vnum primum principium bonorum, quod est summum bonum, sic datur vnum primum principium malorum, quod sit summum malum. Primum enim effectus contrarii debent reduci ad primas causas contrarias; sed bona, & mala sunt effectus contrarii, iuxta illud Ecclesiast. 33. *Contra malum bonum est, & contra vitam mors, sic & contra iustum peccator;* ergo.

2. Secundo ex Aristotele 2. de Cœlo t. 18. si vnum contrarium est in rerum natura, etiā aliud est in rerum natura; sed in rerum natura est summum bonum causans omne bonum; summo autem bono est contrarium summum malum causans omne malum: ergo.

3. Tercio sicut in rebus datur bonum, & melius, sic datur malum, & peius: sed ex eo, quod datur bonum, & melius, infertur dari optimum, in ordine ad quod datur bonum, & melius: ergo ex eo, quod datur malum, & peius, infertur dari pessimum, in ordine ad quod datur malum, & peius.

4. Quarto quæ sunt bona per participationem reducuntur ad id, quod est bonum per essentiam; ergo quæ sunt mala per participationem reducuntur ad id, quod est malum per essentiam, quodque proinde est causa omnis mali.

5. Quinto quod est causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se; sed bonum est causa mali solum per accidens; ergo reducitur ad aliquam causam mali per se, ac proinde datur aliquod malum, quod sit causa per se omnis mali.

6. Sexto malum effectus supponit malum in causa; sed non proceditur in infinitum; ergo datur primum malum, quod sit causa omnis mali.

7. Respondeo celebrem esse errorem Manichæorum, qui dixerunt dari duo prima principia, alterum bonum, quod sit causa omnium